

290. *Hypnum aquaticum* Dill. De hac nihil dicam antequam pervenero ad Herbarium meum.

253. Nunc vidi, Tua est conica, alia quaestio est, utrum Morisoni synonymon ad conicam s. conoideam pertineat, alia etiam quaestio, utrum hae plantae sint species aut varietates. Dillenius has ambas voluit esse diversas.

Doleo quod Evonymus leprosus, cujus semina misisti, non germinaverunt apud me.

Upsal. 1775, d. 26. Martii.

83.

Viro Celeberrimo DD. Jacquin Professore Wien-
nensi s. Linné.

Ups. 1775. Jul. 16.

Ad Tuas V. C. d. 19. Junii haec habeo.

Evonymi leprosi semina priori anno missa, hoc anno germinarunt.

Evonymus latifolius habetur in Horto nostro a longo tempore, non video aliam differentiam quam in magnitudine, quaeso des differentias alias certas.

A. *Gypsophila paniculata*. R. certissime.

B. *Thalictrum angustifolium* R. sic est.

C. *Ornithogalum R. arabicum*. Specimen habui e C. B. Spei.

D. *Geranium*. Deberem videre flores, an noctu ambrosiaci?

E. *Phleum schoenoides*. R. Schoenus aculeatus Loef.

F. *Cyperus pannonicus*. deberem hunc intueri.

Brassica campestris. mea, mihi notissima, inundat agros nostros in meo natali. Foliis est infimis ut ego dixi, nec alia occurrat in Dania.